In eam nempe miseriam & excæcationem homo, divinitus desertus, redigi consuevit, ut ex semetipso idolum faciat. Nec enim sese errare credit, cum maxime errat; nec peccare, cum peccat. Sed diligere sese opinatur, cum odit; & proximo salutì esse, cujus perniciem accelerat. Frustra omnimodam bonorum mundanorum ac temporalium abnegationem nobis tribuimus, si ad minimam quamq; occasionem meum & tuum adeò nos afficit, ut ne transversum quidem unguem de jure nostro cedere sustineamus, utut damnum irreparabile proximo accersatur. Siquidem abnegatio ex Hebræa linguæ genio hostilis simul abominatio ac detestatio rei abnegatæ est. Num verò abominantur opes, qui eas tanto cum studio, tantaq; cum animi contentione affectant? Frustra titulos honorum deprecantur; & simulant, non abnegant, submissionem, quotquot iisdem vel ipsi, vel per alios inhiant. Ambitio profecto, animum torquens, eundem hic superat, & à suiipsius abnegatione reddit alienissimum. Frustrà laudem veracitatis sibi assumunt, qui mendaciorum & obtrectationum callidè sunt architecti. Aliorum vilipendium, sui ipsorum æstimium, ac licentiosum de nemine non judicandi cacöethes nihil profecto minus, quam divinitus mandatum appetitûs sui dominium ac temperamentum commonstrant. Pruritus altercandi ubi insedit atq; inveteravit, ibi Spiritus concordiæ & amoris locum non habet, neq; intrat in animam ejusmodi malignam. Ecquid autem cæco prodest, si, oculis ac visu uti se posse persuasissimus, cæteris exprobret cæcitatem? Ecquid claudo, si ipse claudicans, sibi neget, cæteris vitio vertat claudicationem? Sic non videmus manticæ, quod in tergô est. Sic, ut Salvatoris potius utar verbo, festucam in oculo fratris observamus, trabem in proprio negligimus. Et hæc fundi nostri calamitas; hinc illæ lacrymæ; hæc illa mentis disturbatio erat, de qua conquereretur Basilius, vel hoc incommodum ascetica vitæ persentiscens, QVOD SEIPSVM NONDVM RELINQVERE POTVERIT. Etsi enim in peccata, quorum meminimus, incidisse, mortalia, eaq; omnia, sanctum

Patrem

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG